



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXVIII. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Augustinus impuro, quo prius flagrabat, ardori sacrum substituit, tenerum in Deiparam amorem scriptis testatus est; eam cum Christi vulneribus maximè colebat, in his omne suum solatium, & spem collocans tantò ferventior, quantò prius in horum cultu remissor. *Nad. an. Cæl.* Etiam vitia juvant ad sanctitatem, ut venena ad medelam.

S. Augustine ardens Dei & Mariæ amore Seraphin, accende cor meum, ne amet noxia, sed solùm animæ salutaria; ut rapiatur non in concupiscentiam corruptibilium, sed in laudem Sanctissimorum Jesu & Mariæ. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: Exemplo S. Augustini medium in hodie cogitatione sistam inter vulnera Jesu, & ubera Mariæ, & quantum dabitur, ex utròque hauriam gratiarum.

Videtur Maria dicere Filio, sicut Filius Patri. Volo Fili, ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus. *Rich. à S. Laur. l. 2. de laud. V.*

Quæstio: An mari rubro an candido faciliùs sit portum æternitatis tenere?